PROTECTOR NOSTER ASPICE
MICHAEL

QUIS SICUT DEUS

LVX SOLIS
SEPTEMPLICITER REFVLGENS
IN CLYPEOS AUREOS, ET ÆREOS,
AVRO THEOSOPHIÆ SVBTILIORIS DOCTRINÆ MICANTES, ET CANDENTES SONORO PRÆDICATIONIS ÆRE, OSTENDITVR;
DVM SYMBOLICVS SOL FACTVS OB POENITENTIAM RE VERA NIGER, TANQVAM SACCVS CILICINUS, SACER, SCILICET,
TERTIVS ORDO DE POENITENTIA REGVLARIS OBSERVANTIÆ
S. P. N. S. FRANCISCI ASSISIATI
IN HAC SVA PROVINCIA BOETICA, ILLIBERITANAQVE PRIMO ANGELORVM PRINCIPI
D. MICHAELI ARCHANGELO

DICATA, ET IN CHARITATE NON FICTA COADVNATA modo pro Comitijs Provincialibus celebrandis in Conventu Hispalensi DEIPARÆ CONSOLATRICI SACRO à 17. vsque ad diem mensis Iunij 20. ann. Dñi. 1712. conspicitur, & novum Solem quærens tanquam Sponsum procedentem de thalamo suo sacratum connubium celebrát, coruscantibus clypeis Scóticæ Selectioris doctrinæ per trinam repetitam vesperuginem, & per quatriduum manè tubis candentis æris Evangelicæ prædicationis canora voce sonantibus; vt sic, cum ipsi aptè conveniat illud Apocalip. 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*, pariter videatur impletum propheticum illud Isaiæ 30. pro eodem tempore dictum: *Et lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.*

ÆNIGMATICVS SOL IN Concionibus pro Divino implorando auxilio ſequenti ordine ſplendeſcet.

PRIMA DIE

(QVÆ ERIT 17. MENSIS IVNIJ) VERTET oculos ad Orientem, eo quod Angelum aſcendentem ab ortu Solis pro Eccleſiæ filijs, ac electis clamantem: *Nolite nocere*, hoc eſt (vt refert Sylveira) primum inter ſacros aligeros D. MICHAELEM ARCHANGELVM Provinciæ Titularem, ac tutelam celebrabit, vt quaſi Sol oriens caliginem erroris, & tenebras ignorantiæ in electoribus diſcutiat, eiuſque decantabit laudes fulgens eloquio dulci

R. P. Fr. ILDEPHONSVS A S. FRANCISCO,
Lector Iubilatus, & in Conventu Granatenſi Miniſter.

SECVNDA VERO DIE,

PROPRIAQVE ELECTIONIS PRÆCIPVÆ intuebitur Auſtrum, nam ante illam Divinum vocans Spiritum flexo poplite orabit dicens: *Veni Sancte Spiritus, veni*, ſcilicet, *Auſter, & perfla hortum meum*; & in aula Capitulari ſonora Oratione deliberativa oſtendet Deum ab Auſtro venientem, & ſanctum de monte Pharan, id eſt, Spiritum Domini dona ſua ſingulis, provt congruit, dividentem

R. P. Fr. THOMAS DE LOS REYES,
Ex-Lector Philoſophiæ, & Conventus Antiquarienſis Miniſter.

ET QVIA DEVS DE LIBANO VENIET, & Sanctus de monte vmbroso, & condenso. Qui mons B. Virg. in candore suæ Immaculatæ Conceptionis, & condensitate omnium gratiarum apud Richardum de S. Victore significat; ideo ipsa dies aptissimè sacratur primo Orientis Immaculato instanti, in quo concepta est MARIA; quam ingenioso acumine encomijs prosequetur

R.P.Fr. EVGENIVS VALDIVIA ET QVILEZ,
in Conventu Granatensi Primariæ Cathedræ Moderator.

TERTIA AVTEM DIE
DOMINO DEBITAS,

PRÆCORDIALESQUE REFERENS GRATES Aquilonem versus respiciens Iubilabit elevatum humilem super astra Cœli, sedentemque in testamenti monte, in lateribus Aquilonis, vti à nobis expellentem, à quo pandetur omne malum, scilicet, S.P.N. S.FRANCISCVM, cui vt gratias agat fervidè, aderit Orator

R. P. Fr. PETRVS GONZALES DE SOSSA,
in Hispalensi Conventu Lector Primarius.

QVARTA DENIQVE DIE

PRO SVÆ GRATITVDINIS AFFECTVSQUE ostentatu mœstis oculis cernet Occasum Inclitissimorum Dominorum Provinciæ Tutelarium, qui è vivis decesserunt; è quorum decessu fundamenta deducens, Concionator funereus, & si Canorus erit

R. P. Fr. NICOLAVS RVIZ,
Ex-Lector Philosophiæ, & Collegij Antiquariensi Rector.

HIS-

HISPALENSIS FIRMAMENTI
LUMINARI MAIORI.
HEROICIS NOBILITATIS, ET CELSITVDINIS
DOTIBVS SVPRA OMNES MAXIME
RENIDENTI.
IVRIS-PRVDENTIÆ PRVDENTIORI, ET ÆQVORI
LICVRGO, IN QVO MISERICORDIA, ET IVSTITIA,
MIRABILITER ADVNANTVR.
DOMINICI GREGIS PRÆ OMNIBVS ALIJS
VIGILANTI PASTORI.
HISPANICI OLYMPI STRENVO, ET INVICTISSIMO
Atlanti, humeris ſolicitæ curæ, indefeſsi laboris, atque ſuorum copioſorum proventuum Philipicam Maieſtatem conſtanter fulcienti.
SALOMONE FOELICIORI DYNASTÆ,
CVIVS EXPENSIS, ET SVMPTIBVS SALVATORIS
delubrum conſummatum refulget, propitiatoriumque Domini deauratum, mira arte perfectum, & elaboratum, atque ditiſsimis lampadibus decoratum enitet.
EXC.MO D. D. EMMANVELI
DE ARIAS,
CATHOLICÆ MAIESTATIS SENATVS SVPREMI
Conſiliario Integerrimo, Caſtellæ Hyperoſpiſtæ, totius quondam Regni rectiſsimo moderatori, ac demùm Patriarchalis, & Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalenſis Archiepiſcopo colendiſsimo.
HVIC ERGO PATRONO, ET DIGNISSIMO
Mœcenati Bætica Hiſpaniarum Provincia Tertij Ordinis Pœnitentium S.P.N.S.Franciſci, pro Comitijs Provincialibus congregata iſt hos Clypeos auro Theoſophiæ lib. 1. ſent. V.D. Subt. Ioan.Duns Scoti micantes in gratitudinis, & obſequij aliquale pignus S. L. O.

IN-

INTRODVCTIO AD 4. SENT. LIB. IN *proprietatibus Solis elucidatur.*

CVnctarum rerum visibilium,& invisibilium mira pulchritudo cum varietate coniuncta vnum D. O.M. illarum opificem mirificè indigitat, Apostolo testante, ad Rom 1. *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & Divinitas.* Mirabiliorem tamen Divinitatis,& Divinæ bonitatis imaginem Solem esse, haud dubium est, Eccl. 43. asserente, *Vas admirabile opus excelsi*, & rationem Alapide reddit, quia non tantum clarè representat Creatorem, sed etiam Divinitatis thesauros in omnes terræ creaturas liberaliter diffundit, & dispertit; exiftius igitur pulcherrimæ creaturæ proprietatibus mentis aciem erigimus in præsenti ad intuendam Thèologico lumine inaccessibilem illius Solis Divini lucem,quam præclarissima inhabitat Dei Maiestas; & quia eximia divinitatis lu xmentem nostram præstringit, ne eam fixis oculis contemplemur, ideo refulgentes Clypeos doctrinæ illius Aquilæ magnarum alarum, quæ inter sapientes omnes, quasi ex cedro medullam tulit, quæque volatu celerrimo Solis Magni Augustini radios ebibit, nempè, V.D. Ioannis Duns Scoti circumferentes, increatum Solem pro nostro modulo investigare conabimur in 4. sacræ Theologiæ libris, quos in suis effectibus Sol materialis exprimit,& signat; Solem enim nobilissimum,generalissimum,vtilissimum,& zelosissimum esse experientia demonstrat; primum, quia nobilissima forma gaudet, qua omnium æstimationem meretur: vtilissimum, quia ipsius virtute, & obnubilata redeunt in lucem, omnia viventia robur obtinent, & augmentum: generalissimum, quia sic suæ radios lucis emittit, vt non sit qui se abscondata calore eius: zelosissimum denique, quia nullis temporum eventibus à sui rectitudine motus vi naturali deviari potest. Per primum Deus nobilissimus in attributis, & personalitatibus designatur, per secundum generalissimus in creatione; per tertium vtilissimus in Incarnatione; & per quartum zelosissimus in Sacramentorum institutione significari non dubitatur.

I· CLY·

I. CLYPEVS.



EATVS, *eſt ſolus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſsibilem.* 1. ad Timoth.6. Ex quo omnem excogitabilem perfectionem D. O. M. eſſe tribuendam fides docet, & ratio dictat, cum ens ſit excogitabilium nobiliſsimum omnium; in cuius ſpeculatione tota occupatur Theologia, cum Deus ipſe ſub ratione Deitatis ſit eius primum attributionis obiectum, & ideo ipſa princeps inter omnes nobiliſsima ſcientias haud immeritò exiſtit. Divina exiſtentia non inter attributa, ſed inter prædicata divina communiter numeratur; immò in quidditate Dei, ipſiuſque formali ratione eſſentialiter clauditur, ita taliter vt à tali conceptu quidditativo, ſpecifico, & formali excludantur intellectio actualis, intellectualitas radicalis, pariterque collectio attributorum; quæ inter ſe, & ad divinam eſſentiam comparata diſtinctione formali ex natura rei ſolummodo gaudet.

II. CLYPEVS.



NTELLECTVM, & ſcientiam ſupponimus in Deo, quia ſolus negaret Atheiſta inſipiens dicendo: *Non eſt Deus.* Intellectivum in Deo à priori metaphyſicè non infertur ex immaterialitate, ſed à poſteriori ex ratione primi efficientis efficaciter probari cum noſtro Principe, firmiter aſſerimus. Deus cognoſcit creaturas in ſua eſſentia velùt in obiecto primario, & medio prius cognito eas continente in genere cognoſcibilis. Et licet ab æterno poſitivè voluerit omnes actus à voluntate creata futuros in peccato commitionis malitiæ ſubſtratos; hoc tamen non antecedenter ſed concomitanter cum voluntate creata ob eius eminentialem continentiã in Divina. In Deo non datur potentia executiva formaliter, aut virtualiter diſtincta à divina voluntate. Electos abſque meritis præviſis Deus præordinavit ad gloriam, reprobos verò ad pœnam poſt præviſionem demeritorum poſitiva reprobatione deſtinavit.

III. CLY-

III. CLYPEVS.



LARE cæcutiens est, quisquis Regem invisibilem adhuc supernaturaliter vlla materiali potentia posse videri præsagit; nec minus hallucinatur, qui hoc propalat audacter de intellectiva potentia alicuius creaturæ naturaliter inspectæ, vtpotè qui non, nisi ab intellectu lumine gloriæ elevato, & quidem eo perfectius, quo, cæteris paribus, perfectior erit, videri assentitur. Ex intellectu, & hoc lumine, ipsi de facto per modum qualitatis permanentis inhærenti, velut ex causis partialibus, quarum vtraque immediatè attingit visionem Dei effectivè principaliter, consurgit causa adæquata. Et pro viribus defensandum assumimus (pro potissima) *intellectum creatum posse divinitus elevari ad beatam visionem producendam sine lumine gloriæ creato.*

IV. CLYPEVS.



ÆC est fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate Personarum, & Trinitatem in vnitate essentiæ veneremur, non confundentes personas, neque substantiam separantes. Semper occultum, inscrutabile semper Trinitatis arcanum, manifestum est, præcipuum esse Fidei nostræ mysterium, cuius existentia adeo intelligentiæ humanæ exuperat captum, vt à creato intellectu, quamtumvis vivido pollente obtutu, non nisi fidei ducente face, detegi possit. Pater à nullo, Filius à Patre per *dictionem*, & Spiritus Sanctus ab vtroque (qui si per impossibile à Filio non procederet, adhuc realiter ab eo discriminaretur) per essentialiter liberam voluntatis spirationem procedit. Productio Verbi est ab intellectu, & naturalis; productio verò Spiritus Sancti est à voluntate, & libera; & hæc est ratio à priori, cur generatio non sit processio Spiritus Sancti.

His Clypeis se protegit, & defendet perlustrans P. Fr. ANTONIVS DE LA PEñA ET NARVAEZ *in Conventu Vrsaonensi Artium Lector, tuente* R. P. Fr. IOANNE PETRO DE PRADOS, *Lectore Iubilato, & Provintiæ Custode. Die* 17. *Iunij ann.* 1712. I. *Vespere.*

MO-

MONARCHIÆ SERAPHICÆ

INCLYTO PRINCIPI,

PIETATIS, LITERATVRÆ, ET REGIMINIS CLARITATE CONSPICVO.

QVI OB EGREGIAS ANIMI DOTES PER CVNCTORVM ORAS SVMMIS LAVDIBVS VOLITANTES AB OMNIBVS MANIFESTE DIGNOSCITVR.

CVIVS EGREGIARVM VIRTVTVM CVMVLVS Religionis exemplar mirificum cæteris imitandum proponit.

CVIVS STIGMATIZATI PARENTIS SIMVLACRO clarissimo, vniversa Franciscana Familia lætabunda parens obsequitur.

QVEM SAPIENTIA, QVASI A NATVRA CONGENITA fulgidum, ornatum prudentia, benevolentia charum, affabilem comitas, longaminitas splendidum, amicabilem charitas, spectabilemque liberalitas, prædicant.

A QVO DENIQVE VTRAQVE MINORITICA SPHÆRA, veluti à Sole vivificata resplendet, hinc inde Apostolicæ vitæ diffundens exempla.

R.MO P. N. Fr. ILDEPHONSO DE BIEZMA,

IN QVO VNO NOBILISSIMÆ ANIMI DOTES, splendidissimum virtutum exemplar, altissimaque mentis sapientia spontè copulari videntur.

HOC AD CATHOLICE MAIESTATIS ORATOREM evectio, hoc pro Immaculata Deiparæ Conceptione in Theologum, & Consiliarium assumptio; hoc deniquè in meritissimum Pauperum Patriarchæ Successorem ostendit electio

HVIC ERGO PARENTI AMABILISSIMO NOSTRO SVA hæc Bæthica, & Granatensis Sancti Michaelis Provincia Tertij Ordinis de Pœnitentia pro Comitijs Provincialibus congregata hos Theologicos Radios ex luminari maiori in Seraphico Firmamento, Venerabili Doct. Subt. in 1. & 2 sent. emanatos in obsequentis animi officium.

O. D. L.

RADIVS I.



N principio creavit Deus Cœlum,& terram. Gen. 1. Vnde omnium rerum ſupremus, & generaliſſimus opifex in tempore exorſus ſuæ Omnipotentiæ effectibus, qui futuritionem ſolum eſſe habebant exiſtentiam contulit. Creationis opus, ſicut & quodlibet ad extra, totius eſt Trinitatis; ſed ſi per impoſsibile vna tantum in divinis daretur perſona, ita perfectam producendi haberet virtutem, ſicut nunc reperitur in tribus. Nobiliſsimus creaturarum Angelus purus Spiritus eſt, nullamque phyſicam ex materia, & forma compoſitionem admittit. Intra eandem ſpeciem poſſunt multiplicari numericè. Habuit Angelus in ſtatu viæ Divinæ eſſentiæ claram,& diſtinctam cognitionem per propriam ſpeciem collatam. In primo ſuæ creationis inſtanti miſeri Angeli potuerunt eſſe.

RADIVS II.



OST Angelos Deus hominem condidit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, quem donis, ac virtutibus ſupernaturalibus, iuſtitiaque originali decoravit. Si eximia huius ſtatus permaneret fœlicitas, iuſtitia originalis non fuiſſet à Parentibus per generationem filijs transfuſa; ſed vt donum ſupernaturale ex mera Dei liberalitate, ſicut Parenti, proli daretur. Originalis iuſtitia eſt plurium collectio habituum, quorum in voluntate vnus; cæteri vero in potentijs voluntate ſubiectis, inveniuntur. Si primus homo in fœliciſsimo illo permaneret ſtatu, neutiquam mortem ſubiret; licet non ex ſe, ſed ex beneficio manutenentiæ divinæ, & providentiæ ſpecialis, immortalis exiſteret. Si de fructu ligni vetiti non ederet, etiamſi contra aliud præceptum delinqueret, nec ſibi, nec nobis iuſtitiam amitteret originalem.

RADIVS III.



VÆ vtilitas in ſanguine mèo dum deſcendo in corruptionem? Pſal. 29. Vbi tropologicè exponit Lorinus, quod nihil profuiſſet condi humanum genus, ſi æterna omnes morte propter Adæ peccatum perijſſent, vt debebant; quare vtiliſsimum, & convenientiſsimum ipſi naturæ humanæ, toti vniverſo, ipſique Deo fuit, Verbum incarnari. Totam Trinitatem cauſam extitiſſe principalem efficientem Hypoſtaticæ vnionis pro comperto habemus; cauſam verò meritoriam, nec humanitatem Chriſti, aliqua prioritate præintellectam, nec ipſum Chriſtum Dominum fuiſſe, exiſtimamus. Myſterij huius motivum primarium, fuit ipſa excellentia Myſterij; ſecundarium verò Redemptio generis humani; vnde Adamo manente in firma Dei obedientia, carnem aſſumeret Divinum Verbum ex vi præſentis decreti.

RADIVS IV.



RADIX iuſtificationis, & primum fundamentum virtutum fides divina eſt. Ratio obiecti formalis, & motivi intellectus ad eliciendum aſſenſum competit authoritati divinæ, provt infinitam ſapientiam, & veritatem importat indicendo. Revelatio autem divina conditionis ſolummodò; non tamen motivi habet formalis. Omnem propoſitionem revelatam à Deo pro obiecto dicit materiali; & quia ſubactiva revelatione Dei mediatè, & immediatè poſſunt fidei veritates contineri, ideo aliæ immediatè, de fide, aliæ mediatè dicuntur. Ad quas enim hæc propoſitio: *Clemens XI.* (qui nunc Romanam Eccleſiam gubernat fœliciter) *eſt verus Pontifex*, pertineat? A Theologis diſputatur; nos autem (2. Veſpere) defendimus, *eſſe immediate de fide, Clementem XI. eſſe verum Pontificem, & Succeſſorem D. Petri.*

Horum claritatem Radiorum conſervare ſtudebit defendens P Fr HIERONYMVS RENDON, *in Veræ Crucis Cænobio Cæſarienſi Philoſophiæ Lector, ſub Præſidio* R. P. Fr. FRANCISCI RODRIGVEZ GVERRERO. *Lectoris Iubilati, & Provinciæ Diffinitoris. Die* 18. *Iunij ann.* 1712. *Veſperè.*

IN-

INGENVÆ NOBILITATIS PRÆCLARIORI INTER FVLGENTISSIMAS splendori, radiantique luces astrorum decoranti lumina, Cœlorumq; huius hemispherij maximæ pulchritudini, pulchritudinẽ, claritatem, & decorem Cœlorum astris, astrorumque orbibus ingenti liberalitate redundanti; vtpotè quia, multiplicato lumine, à fonte crevit in fluvium, & in lucem, Solemque, vt altera Esther conversa est, vt in gloriam suis maioribus nata, nobilitatem ipsam nobilitans, ab omnibus verè Domina videatur, non tam hæreditaria luce, quam illustrioribus virtutibus elevata; vt genus à proavis ingens, ingentius perpetua fama reddatur.

QVÆ ERGO EST ISTA, QVÆ SIC ASCENDIT DELITIJS AFFLVENS?

D.D. ANNA DE CARDENAS ANGVLO ET GVZMAN PONZE DE LEON.

CORDVBENTIVM INTER SENATORVM Matronas, summè ita veneranda Mater, Patriæ solatium; à sua vtique Provincia, & nostra; fœlicitate perillustris conclamata Patrona, vt eam in illa mulieri forti, quam Salomon decantat, ac celebrat depictam, cum Cyrillo Alexandrino, lib. de recta fide ad Reginas de Eudoxia, & adumbratam fama celebrare non dubitet, quatenus in caliginosa nocte væ privativi duorum fortioribus charitatis operibus illustrior, splendidiorque fulget.

HVIC ERGO TAM PERILLVSTRI PATRONÆ Provincia S. Michaelis Bæthica, Granatensisque Tertij Ordinis de Pœnitentia S.P.N.S.Francisci hos Theologicos doctrinæ Scoticæ luce fulgentes Radiolos ex 4.sent.lib. D. S. O.

I. RA-

I. RADIOLVS.



ELVS domus tuæ comedit me. Pſal.68. Zelus domus Dei (exponunt multi) comedit Chriſtum, quando contra peccatorum vulnera, vt zeloſiſsimus Medicus Sacramentorum inſtituit medicamina, quibus homines ſani, & ſalvi fiunt; nam ipſe Chriſtus meruit nobis ea, quibus ad iuſtificationem diſponimur, vt fidem vocationem ad ipſam fidem, vltimam diſpoſitionem, adminiſtrationem, & ſuſceptionem Sacramentorum, *de quorum ratione non eſt gratiam phyſice cauſare, ſed ſolum inſtrumentaliter moraliter.* (3. Veſperè) De ratione ergo Sacramenti novæ legis eſt ſignificare perfectam ſanctitatem in actuali vſu Sacramenti per gratiam conferendam. Sacramenta dicuntur fluxiſſe ex latere Chriſti ſignificativè tantum, quatenus à ſanguine, & aqua ex ipſo emanantibus latere, & ſi non per modum meriti: per modum tamen ſacrificij, pretij, redemptionis, & ſolutionis virtutem acceperunt.

II. RADIOLVS.



VM Chriſtus Ieſus dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, id eſt, vehementiorem amorem oſtendit in traditione ſui corporis: quia inter omnia mirabilia eius præcipua conſtat recordatione eſſe digniſſimum finale illud convivium ſacratiſsimæ Cœnæ, in qua corpus ſuum, & ſanguinem, verum cibum, & potum dedit Eccleſiæ. Hoc mirabile Sacramentum potuit inſtitui, Adamo non peccante, nec non ante Incarnationem; & tunc eſſet eiuſdem rationis cum inſtituto de facto; ſolumque per connotatum differrent; quatenus iſtud actionem adductivam connotat; illud verò connotat aliam, per quam ſimpliciter produceretur Corpus Chriſti; cum quo tamen ſtaret; eſſe tunc Euchariſtiam vnum ſpecie infima Sacramentum, ſicut eſt de factò propriè, & formaliter loquendo; etiamſi numero ſint plura.

III. RA-

III. RADIOLVS.


RO ijs, qui post baptismum in peccata labuntur Christus Iesus Sacramentum instituit pœnitentiæ cum dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata. Appositis in verbis in salutem nostram hoc Saramentum institutum fuisse à Christo Domino post ipsius Resurrectionem, clarè affirmat Tridentinum. Pœnitentiæ Sacramentum in re, vel saltem in voto necessarium est necessitate medij ad delenda peccata post baptismum commissa. An autem ad remissionem peccati mortalis, extra Sacramentum, requiritur in adultis actus pœnitentiæ formalis, scilicet, contritio, qua doleat de peccatis commissis? Est maxima difficultas. De potentia ordinaria concedimus, de absoluta verò affirmamus posse peccata remitti absque vllo actu pœnitentiæ, tàm formalis, quàm virtualis.

IV. RADIOLVS.


SCENSIO Domini glorificatio nostra est: Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris, quasi de proprijs meritis præsumamus; quia sicut sine meritis Christi nemo est sanctus; sic nullus hominum in gloriam ingredi poterat ante ipsius Ascentionem in Cœlum, in quo ad dexteram Patris existens triumphator, rigorosa oratione exorat pro nobis apud Patrem, vt Advocatus noster; qui quidem auctor, & institutor est omnium Sacramentorum, homines in terram promissionis ferentium; inter quæ Baptismus, & pœnitentia per se, & ex primaria institutione collativa sunt primæ gratiæ, quamvis de per accidens conferre possunt secundam. Reliqua autem Sacramenta per se solum secundam gratiam tribuunt ea dignè recipientibus: de per accidens tamen primam possunt tribuere.

Horum fulgorem zelavit defensor P. Fr. FRANCISCVS GALLEGOS, *in Astigitano Conventu Philosophiæ Moderator, sub tutamine* R. P. Fr. ILDEPHONSI A SANCTO FRANCISCO, *Lectoris Iubilati, Ministrique in Granatensi Conventu.*

Die 19. Iunij anni 1712. Vespere.